MEDICAM LAURUM ADEPTURUS DE NEPHRITIDE ALIQUA...

Domenico Tamarro

13

MEDICAM LAURUM
ADEPTURUS
DE
NEPHRITIDE
ALIQUA REFEREBAT
Dominicus Tamarro
PYRHANENSIS



PATAVII
TYPIS PENADA
MDCCCXLIII.

PIIS MANIBUS

OPTIMAE AGNETIS ROTA

PIETAS, GRATITUDO ET AMOR

AUCTORIS

Nephritis, a graeco vocabulo νέφρος ren et terminatione ιτις, graecis medicis inflammationem exprimente, sistit inflammationem vel parenchymatis vel velamenti renis, aut unius aut utriusque.

Qui anatomicorum vel physiologorum more perquisitionibus renes considerat, necesse est facile in iis conditiones percipiat, quae inflammationi excitandae quam maxime favent. Structura hujus visceris vasis ditissima, sanguinis arteriosi quantitas in illud irruens, copiosa filamenta nervea quibus instruitur, acerrima et corrosiva urinae natura, sunt totidem circumstantiae, e quibus in phlogosim proclivitas deduci potest. Attamen praxi medica contrarium constat, et inter raras phlegmasias nephritis enumeratur, quod hoc forsan pendet a minima sensus organici acutie renibus impertita, quoniam a supradictis potentiis stimulantibus non laeduntur. Nihilominus tamen renum inflammatio sub datis rerum circumstantiis evolvitur, et pluries observata fuit. Hisce omnibus perpensis, arduum illud opus adgredior, quod post absolutam tantam annorum seriem leges academicae cuilibet Medicinae lauream adspiranti imponunt.

Nephritidem qua objectum dissertationis inauguralis sumpsi, et, quae in operibus selectis de illa dispersa inveni, colligere, divisionem, symptomata et decursum, aetiologiam, differentias ab aliis morbis, terminationes, prognosticon, nec non therapiam exponere tentavi. Voti compos ero si laborem hunc qualemcunque Vos, Praeceptores sapientissimi, Lectores et Auditores benevoli, benige excipiatis, meque Vestro favore in posterum prosequi pro Vestra benignitate dignemini.

Variam tenent medici sub diverso respectu hujus morbi divisionem. 1. Quoad originem in idiopathicam, traumaticam, sympathicam, vel symptomaticam. 2. Quoad decursum in acutam vel chronicam. 3. Quoad characterem in sthenicam, in nervosam, putridam. 4. Quoad exitum in benignam et malignam. 5. Quoad nexum cum aliis morbis in simplicem aut complicatam. 6. Quoad vehementiae gradum in levem aut intensivam. Experientia docet, unum renem et quidem sinistrum frequentius dextro inflammatione corripi. Febris tamquam symptoma localis adfectionis invadit cum horripilatione, cui magnus aestus succedit, cum siti adaucta, pulsuum frequentia atque duritie, nec non cum omnibus aliis phaenomenis, quae febrem inflammatoriam comitari solent. Sub istis consuetis *prodromis aegrotaturi persentiunt* dolorem ardentem, profundum, pulsantem, acutum, pungentem, oppressivum, continuum in lumborum regione ad distantiam circiter trium digitorum a spina dorsi infra ultimam costam spuriam, et si ren adficitur sinister, altior sentitur iste dolor, profundior dum dexter ren inflammatione corripitur, et ad ossis ilium

usque cristam pertingit, et quandoque juxta uretheres ad vesicam urinalem aut ad vasa spermatica extenditur. Apud viros non raro per inguina ad testes propagatur, hi vero ob spasticam cremasteris musculi contractionem versus anulum abdominis retrahuntur, stupor aut myrmekismus lateris dolentis aegrotantes vexat, ita quidem ut vix pedi insistere aut ambulare queant. Externa in regione renis dolentis intumescentia non circumscripta, modice rubens et calens non raro adparet. Prouti aut superficies renis, aut magis ejusdem parenchyma patitur, jam a leviori, jam a rudiori contrectatione dolores crescunt, quod etiam fit tussi, inspiratione profundiori, sternutatione, decubitu supino, imo sub gressu, ipsaque alvina et urinae excretione. Per consensum quoque organa vicina male adficiuntur, uti ventriculus, hepar, tubus intestinalis et non raro diaphragma, et inde enascuntur singultus, tussis, spiritus ducendi difficultas, collectio saburrae biliosae, vomitus; quae omnia uti phaenomena sympathica consideranda sunt. Functio renum constanter laesa cernitur, et secundum inflammationis vehementiam diverso modo; levidensis enim irritatio secretionem urinae promovet, oritur sic dictus diabetes inflammatorius; sub gravi e contra phlogosi secretionis officium aut infringitur, oritur oliguria; vel penitus intercipitur, unde ischuria renalis. Qualitas quoque urinae alienatur; parcum enim illud lotium, quod cum difficultate, cum tenesmo succedit, est flammeum, turbidum, fuscum saepe cruentum; aut si inflammatio ex calculis renalibus oritur, sedimentum deponit arenosum. A funesta hacce

suspensione functionis, totius corporis maxima perturbatio enascitur: sitis flagrat, calor animalis est adauctus, pulsus ab initio veloces, duri, pleni, versus finem, ut in ceteris inflammationibus viscerum abdominalium, fiunt parvi, contracti, extremitates frigent, quandoque nervorum distensiones, imo abolitio conscientiae, adparent. Non raro enim e corporis superficie odor urinosus emanat, inquietudo fit maxima, dolores atroces, plethora extrema, accedunt tormina in ventre cum murmuribus, meteorismo et alvi oppilatione et denique apoplexia lethalis tot poenarum feralem scenam claudunt.

Decursus plerumque est acutus, ita ut vix ultra septimum excurrat diem, et modo benefica resolvitur crisi, modo lethali terminatur eventu, modo aliis gravioribus morbis ansam praebet.

Ast non semper observanda occurrit nephritis acuta, quin immo saepe saepius conspicitur chronica, quae sive in simplici consistit turgore, sive est comes labis cujusdam organicae, uti lithiaseos vel suppurationis, minori decurrit vehementia et constantia, sed perdurare potest ad plures menses et annos, et eo potius mortiferas producit devastationes.

Ut plurimum enim, sicut monui, unus ren inflammatur, et hac sub conditione alter alterius functionem exercere valet: hinc urinae quantitas parum a norma aberrat; tunc etiam phaenomena morbosa e sympathicis orta nec sunt tam gravia, neque ad totum corpus diffusa.

Momenta causalia plurima habentur, quae hujus morbi genesi opitulantur, et discedunt in praedisponentia et excitantia, et haec iterum in in-

terna et externa; ad praedisponentia pertinent: certa corporis constitutio arteriosa inflammationi praecipue favens, morbi inflammatorii praegressi hujus visceris, diathesis calculosa, ebriositas, vita sedentaria, continuus decubitus in dorso, veneris abusus, menstrua et haemorrhoides parce fluentes. Causis excitantibus et quidem internis adnumerari possunt: refrigerium dorsi et lumborum sudore praegresso madentium, vitia organica renum, uti steatoma, scirrhus, fracturae vicinarum vertebrarum, inflammationes organorum contiguorum, uti peritonaei, hepatis, lienis, intestini coli, psoae, urethrae, vesicae, uretherum, spondylitis et caries vertebrarum; praeterea affectiones spasticae viarum urinariarum, quo fit, ut orina diutius retineatur; metastases vel metaschematismata aliorum morborum ex. gr. regressus arthritidis, exanthematum, reumatismi, erysipelatis, podagrae, fluxus haemorrhoidalis et menstrualis suppressus, calculi renales, qui vel ob acutiem aut asperitudinem renes continuo irritant, aut mole sua urinae excretionem impediunt; porro quaedam materiae, quae stimulo specifico renes incitant, uti cantharides, meloë majalis, balsama et substantiae resinosae, praecipue sabina, terebinthina, immodicus vini recentis potus imperfecte fermentati. Ad externas denique causas incitantes pertinent; violentiae extrinsecus illatae, uti verbera, ictus, contusiones, vulnera in regione lumbari, lapsus, onerum gravissimorum gestatio, saltus immodicus, equitatio nimis rapida et vectio in rhedis per vias asperas.

Ob organi profundam sedem ac intimum cum contiguis partibus nexum, cum remotis consen-

sum, non exiguae in morbi indole et sede difficultates oriuntur, praesertim dum morbus lente serpit, vel peritonaei velamentum sive membrana propria, quae renes obvolvit, solummodo laboret. Hocce in casu vel ejus natura clare non dignoscitur, vel cum alius morbi forma facile confunditur. Morbi ergo, cum quibus nephritis prae ceteris confundi posset, sunt praecipue: myelitis lumbaris, caries vertebrarum, mesenteritis, psoitis, lumbago rheumatica et haemorrhoidalis, vel etiam nephralgia non inflammatoria; e quibus omnibus distinguetur nephritis si ratio habeatur phaenomenorum, quae illam comitantur. In myelitide et in carie vertebrarum lumbarium, dolores urentes profundi aut in certa regione columnae vertebralis, aut per totam dorsi spinam diffusi aegros cruciant, qui sub pressione vix augentur, ast sub motibus aut incurvationibus trunci valde exacerbantur, ita uta vix curvandi potentia, sed solummodo situs supinus aegris concedatur. Functio renum illaesa est, pondus corporis fit plumbeum, et sub ulteriori morbi decursu non raro paralyses extremitatum morbo hoc producuntur. In mesenteritide dolor est per abdomen diffusus, sub ventris pressione valde exasperatur, nulla adest in rerum functione anomalia, juniori potius insidiatur aetati, atque tunc communissimum scrofulae mesentericae comitem sistit. Psoitis habet pro pathognomonico symptomate dolorosissimam vel etiam impeditam flexionem anteriorem lumborum nec non femoris, et ibi dolores in lumbis magis sunt superficiales, minime diffusi, et sub tactu et sub trunci flexione exasperantur, et nonnunquam urinarum difficultates sese adsociant.

Lumbago rheumatica et haemorrhoidalis dignoscuntur ex dolore oppressivo, lancinante, vehementi in regione vertebrarum lumbalium et ossis sacri, qui modo ad partes vicinas extenditur, incurvatio trunci fere impossibilis, sic et status vel ingressus admodum difficilis est. Denique nephralgia minime inflammatoria, pendens a solo turbato aequilibrio dynamico, se se ostendit cum doloribus, etsi aliquando acutissimis, brevi tamen tempore duraturis, ac manifestam intermissionem habentibus: secretionis functio sub dolorum accessu saepe infringitur, ast ad naturale statim exercitium restituitur. A morbis tandem aliorum organorum propinquorum, uti ab hepatitide, lienitide, diaphragmitide partim e recta phaenomenorum comitantium, potissimum vero e recta et adcurata regionis dolentis consideratione, sic et causarum producentium, facile distinguitur. Haec omnia maximi erunt momenti ad rectam nephritidis diagnosim peragendam.

Nephritis uti quivis alius morbus tres agnoscit terminationum species. Transit enim in sanitatem, aut in morbos successorios, aut demum in mortem. Molimina critica die quinta vel septima suborta, quibus colatoria corporis cum solemni levamine aperiri solent, aegrotantes divino sanitatis dono laetificant; ita etiam bona aegri constitutio, defectus omnis hereditariae diathesis calculosae et vitii organici; causa simplex, organi texturam minime laedens; symptomata leviora, morbus regularis non complicatus, urinarum secretio et excretio non ex toto interrupta; therapia opportuna prompte adhibita levamen inde conspicuum juvant. Conferunt vero

ad dijudicandam febrim inflammatoriam atque ad solvendam phlogosim topicam sudores multi, aequales, urinae copiosae non adeo laete rubentes, sed magis saturae, crassae, sedimentum lateritium deponentes. Interdum etiam noduli haemorrhoidales, aut haemorrhoides fluentes adparent, praecipue si morbus ex harum suppressione originem sumpsit.

Ad morbos successorios potissimum pertinet suppuratio, ad quam concludere licet, ubi aegri sunt robusti, plethorici, prius vehementi febri inflammatoria correpti, et crisis normalis pro topica inflammatione, uberiore et liberiore excretione urinae, aut sudoribus universalibus levantibus ad septimum sive ad secundum septenarium diem non sequuta est, sed dolor, antea acerbus, in dolorem obtusum, pulsantem transit; febris quidem mitigatur, sed sine crisibus manifestis, et novi accessus, vespertino tempore, febris remittentis cum horripilationibus oriuntur; sensus adest ponderis, tensionis atque pressionis in lumbis; cruris stupor augetur cum testium spastica attractione ad inguina. Quum renes sint organon sanguine ditissimum, suppuratio quoque admodum frequens in iis occurrit. Puris magna saepe copia in rene colligitur, ita ut totum fere organum destruatur, quin pus secedat aut excernatur; nam membrana renem obvestiens sat firma compage donata est, et totus fere hujus visceris nucleus saepe post mortem pure consumptus invenitur, quin tamen in vita nec cum urina nec alia via pus secesserit. Via, qualem pus forinsecus sibi pandit, varia est. Nonnunquam abscessus clausus manet, oritur vomica, quae non

raro totum viscus devastat, priusquam pus excernatur, quod praecipue fit, dum unus ren in inflammatione detinetur. Tandem de repente rumpitur vomica, ubi pus in pelvim renis et per uretheres in vesicam urinariam descendit, et cum urina magna in quantitate excernitur. Aliis in casibus pus lente secedit cum urina, cum sanguine saepe mixtum, in quibus paulo post pus fundum petit. Caute tamen distinguendae sunt urinae purulentae ab urinis puriformibus, quae jam in priori nephritidis periodo cernuntur, et potius lympha coagulabilis est, quae in pelvim renis exsudat et urinis admiscitur. Nihilominus praesentia puris in urina de renum suppuratione nos minime semper certiores reddit, nisi pyuria foetida existente omnia alia phaenomena inflammationis renum praecesserint, et hujus exitum in suppurationem insimul indicaverint. Accidit etiam, ut pus per tegumenta extima forinsecus sibi viam pandat, ubi dein sensim sensimque in regione renum tumor fluctuans oritur, et abscessus aut sponte aut artis ope rumpitur, in quo casu non infrequenter fistula renalis remanere solet. Toties enim per exulcerationem renis pus intestinum colon perforavit, unde diarrhoea purulenta, aut in cavum abdominis, aut per diaphragma in cavum pectoris sese effudit, vel consumptis musculis psois et lumbaribus vertebras et costas ipsas devastavit, quae omnia cito vel sero ad extremum fatum aegrotantem miserrime ducunt. Nephritis chronica facilius quam acuta ad suppurationem pergit, nam haec ut plurimum a fomite organico sustinetur. Exitus in indurationem, quae potius chronicam inflammationem sequitur, co-

gnoscitur, si quidem febris et inflammatio remittunt, tamen absque resolutionis aut suppurationis signis; aegri quidem pauciora mingunt, sed limpida; in regione renum tumorem indolentem, durum monstrant, persistente adhuc stupore femorum, superest sensus ponderis, cruris motus impeditus est vel claudicans, habitus universalis depravatur, cachexia hydropica evolvitur, et denique tabes aegrum consumit. Non raro textura renis adeo alteratur, ut primitivum prorsus amittat organisationis typum, talique pacto ren omni facultate urinam secernendi privetur et vel massa evadat heterogenea mox steatomatosa, mox lipomatosa, mox meliceridea. Visum quoque fuit renis parenchyma ex toto destructum, nihilque aliud remanere nisi bursam membranosam cum variis loculamentis, humore variae indolis repletam. In hypoclepsin terminatur nephritis si phlogosis renis velamentum obducens investiat, et in conspectum venit sub forma ascitis vel hydatidum; in hac nephritidis specie, saepe morbosus renis coalitus cum organis adjacentibus efformatur. Aliud posthumum nephritidis, praecipue lentae, est lithiasis renalis, etsi haec non semper uti phlogoseos productum considerari debeat; istius ex alterata urinae indole, nempe ex praedominio acidi phosphorici et urici, nec non ex humoribus mucosis atque albuminosis derivanda venit origo, quae materiae congelantur, in renis pelvi sedem figunt, et varias dein turbas producunt. Gangraenam ominosum inflammationis exitum annunciant repentina dolorum cessatio, frigus extremitatum, virium extrema prostratio, pulsus exilissimi, intermittentes, sudores frigidi,

deliria, vomitus, urinae nigricantes putridae aut plane suppressae; iste rarissimus exitus nephritidis acutae terminatio consideranda est. Ratio exitus lethalis nunquam fere ex inflammatione per se spectata, sed potius ex consectariis hujus morbi sive ex reactionibus vicariis vividissimis deducenda est.

Ubi de futura sorte aegri nephritide adfecti pronunciandum sit, maxima cautela uti oportet. Prognosis enim ad maximam partem dependet a causis, quae inflammationem ponunt, a gradu vehementiae, a genio epidemico regnante, dein a complicatione cum aliis passionibus. In regula non ad morbos periculosissimos pertinet nephritis, praecipue, si unus solummodo ren inflammatione corripitur, et idiopathica est, et facile sanatur apto regimine pharmaceutico et diaetetico. Si vero uterque ren inflammatione corripitur, praesagium eo tristius fit, quo magis functio renum supprimitur aut plane tollitur, ob vicarias inde oriundas secretiones in encephalo, si inflammatio magno vehementiae gradu incedit, praeprimis individuis robustis, plethoricis ob timendam suppurationem, si genius epidemicus regnat nervosus aut putridus, ob versionem characteris inflammatorii in nervosum vel putridum. Quo magis inflammatio per consensum in organa vicina agit, et cum doloribus colicis, vomitu, animi deliquiis, convulsionibus conjuncta adparet, eo funestior plerumque exitus timendus est. Illa secundaria, ex suppuratione, scirrho aut ex calculis renalibus originem sumens, frequentissime miseros ad orcum ducit.

Ex supradictis facile indicationes therapeu-

ticae desumuntur, et sequentibus instituendae sunt: 1. causam nocentem amovendi, 2. morbum ejusque effectum extinguendi, 3. febris crises dirigendi, 4. reconvalescentiam adjuvandi. Secundum primam indicationem dispositio morbosa emendanda venit, hinc evitanda sunt, in quantum fieri potest, illa in aetiologia memorata momenta disponentia. In morbo ipso curando respiciendum est ad causam producentem, ad genium epidemicum regnantem, ad vehementiae gradum, ad simultaneam alius organi passionem. In nephritide gradus notabilioris cum febri inflammatoria conjuncta cura medici in hoc versatur ut phlogoseos vis, sensibilitas et excessus compescatur crisisque promoveatur. Ergo uti in omnibus inflammationibus oportet nimium incitamentum deprimere, sanguinis motum compescere, vires vitales ad aequilibrium recomponere; remedia hinc antiphlogistica, quorum princeps venaesectio instituenda, et quidem pro vehementia morbi repetita: huic praecedunt depletiones sanguinis locales ope hirudinum aut etiam cucurbitularum; ponuntur illae in regionem dolentem, tamen si ex haemorrhoidibus aut menstruis suppressis orta esset nephritis, circa anum aut ad pudenda: pro interno usu emollientia, lenientia mucilaginosa quadrabunt uti, decocta althaeae, verbasci, malvae, salep, mucilago gum. arab., emuls. amygdal., oleosa, blanda purgantia ex althaea cum oxymelle simpl., aut manna, aut fructib. tamarindorum, opium et hyoscyamus cauta manu si porrigantur. P. Frank opium in emulso gum. arab. aut decocto quodam mucilaginoso propinandum commendat.

Inter remedia externa, pertinent fomenta emollientia, sopientia tepida, uti decocta malvae, herbae althaeae, verbasci; aut si spasmi aut dolores vehementes aegros cruciant, fomenta ex decocto herbae hyoscyami, belladonnae, cicutae virtute gaudent comprobata. Porro cataplasmata emollientia, sopientia, sed tenuia, ne mole sua partes dolentes irritent. Primum vero locum tenent enemata emollientia, sedantia, in spasmis quoque cum opio aut extracto hyoscyami conjuncta, tepidula et parva quantitate injecta ut ab aegro retineantur, et ut relaxentur partes rigidae ab inflammatione in consensum tractae, et ut excrementa facilius expellantur. Inunctiones partis dolentis cum oleo hyoscyami, balnea universalia aut semicupia tepida optime etiam conducunt.

Regimen tandem diaeteticum cum therapeuticis in eundem collimet scopum necesse est. Aër sit ergo purus, moderate calidus, aeger servet tranquilitatem corporis et animi, maneat in lecto, vitet decubitum supinum, amet potius situm magis erectum, stragula ne sint nimis calefacientia; victus sit tenuis, digestu facilis, utatur hinc jusculis carnium meris, tenuibus, nec conditis, nec salatis, fructibus horreis coctis, uti pomis, prunis, cerasis. Pro potu utatur aqua gelida aut decocto hordei sive herbae althaeae, sive tenui emulsione amygdalina.

Sedulo cavendum a drasticis remediis, ab omnibus salibus aut diureticis acribus; nam illorum actione sanguinis ad renes adfluxus adaugetur, et urinae facultatem nimis irritantem acquirunt. Si morbus revellentia postulat, cavere oportet ab

emplastro vesicatorio ex cantharidibus composito, ob validam irritationem quam suscitat in organis urinariis, mirabilis consensus ope, qui cutim inter et renes intercedit; sed potius sinapismis, cortice mezerei vel alius generis epispasticis utendum est.

Si nephritis ex causa traumatica ortum sumpsit, ab initio usum epithematum frigidorum postulat, et dein secundum regulas chirurgicas vulnus tractandum est.

Quatenus vero princeps morbi fons in infracta imponderabilium conductione latet, eatenus principem curae respectum versus corporis superficiem dirigere oportet, quod diaphoretica praestant, in quem scopum infusa florum sambuci, tiliae, chamomillae, spiritus Mindereri tepidule sorbillata collimant.

Illa nephritis ex calculis renalibus orta, ob spasmos hic praeprimis occurrentes, cum mucilaginosis, oleosis, addito opio, eccoproticis blandis oppugnari debet; placata demum irritatione ad illa confugere oportet remedia, quae qualitatem acrem urinae invertere, quae languorem secretionis corrigere, visceris laxitatem emendare, quae obstructionem resolvere, et tandem quae puris effectus impedire vel saltem retardare valent, uti aquae soteriae acidulae martiales, aqua mephitica alcalina, potus nitrosi, balsama nativa, uva ursi, myrrha et similia, quae omnia semper parva dosi exhibenda, ne novum incendium inflammatorium exsuscitetur.

Ex stimulis specificis, praecipue abusu cantharidum, positae nephritidi optime conveniunt emulsiones mucilaginosae, oleosae in connubio

cum camphora aut decocto mucilaginoso cum oxymelle simplici, aut acido tartarico, vel cremore tartari.

Si in suppuratione renum abscessus extrorsum versus penetrat, cataplasmatibus emollientibus maturandus, et fluctuante abscessu aperiendus est: aeger servet decubitum ad latus dolens, ut pus eo libentius effluere possit, calculi renales, si quidem adsunt, insumantur; ulcus autem regulis chirurgicis tractetur.

Phthisis renalis juxta varia stadia, uti omnes aliae phthiseos species, variam requirit medelam, et eodem modo curatur ratione semper habita organo adfecto et symptomatibus, quae morbum comitantur.

Induratio et scirrhus postulat blande solventia remedia, ut extractum graminis, taraxaci, cichorei, fel tauri, porro usum mercurialium internum et externum.

Quae tandem imminentis gangraenae signa fert nephritis, pessimi plerumque ominis, ad efficacissima arma clamare jubet, uti: camphora, acida mineralia, acetum concentratum e blando quodam decocto, china etc.; externe fomenta aromatica, linimenta volatilia, rubefacientia.

Argumentum quod hisce verbis certum inconcinnis exaravimus, longe fusioribus et eruditioribus investigationibus opportunitatem suppeditabat. Id nos haud fugit, sed aeque scimus et temporis angustiam et difficultatem, in qua versatur tiro, qui prima vice libellum conscribit, apud lectorem aliquid nobis prodesse, ut benevolus et aequus sit.

THESES DEFENDENDAE

I.

Formula medica justa notionum medentis optimum testimonium.

II.

Notionibus pathologicis generalibus destitutus medicus rationalis esse non potest.

III.

Symptomata morbi nervosa a charactere ejus nervoso apprime distinguenda.

IV.

Mors vera in rerum natura non existit.

V.

Haemoptoë e suppressis haemorrhoidibus tollitur haemorrhoidibus.

VI.

In nephritide calculosa non nisi cura indirecta instituenda est.

VII.

Dantur partus serotini.

VIII.

Puris cum urina secessus non semper vesicae aut renum suppurationem indicat.